

225

223

229

219

234

214

274

174

324

124

214

ventis, et paulatim movebamur in portu a loco stationis; cohiebatur autem arte, ne navis importune extra portum ejiceretur, sed cum reverentia, ut oportuit, turrim Julii Phareglan pertransiret modeste. Nulla enim navis sive egrediens sive ingrediens nisi cum remissione veli turrim illam pertransire audet in recognitionem regiae majestatis. De hac turri supra fol. 125 a. Cum ergo jam extra portum venissemus, repente tulit nos ventus, et longius per mare Aegypti perduxit in pelagum Syriacum impellens extra tramitem intentionis nostrae, qua optavimus portum Paphum Cypri regionis apprehendere, ventus autem altius nos tulit in mare Palaestinae et Syriae, ita quod non longe a terra sancta fuimus, eam tamen videre non poteramus nec aliquam aliam terram; si autem ventum directe secuti fuissemus, statim in aliquem Palaestinae portum venissemus, sicque cum gaudio multo et hilaritate felici et forti navigatione (148 a) processimus contra plagam aquilonarem cum tendentia aliquali in orientem. Et si gubernatoribus placuisset, illa nocte portum aliquem terrae sanctae habuisset, sed quantum poterant a Syria se avertabant contra aquilonem cum tendentia ad occidentem, sicque per medium navigavimus, ita quod ventum in orientem tendentem non ex toto secuti sumus, et arte nautarum qua conabantur in occidentem vi ventorum dimisi- mus, et ita diem illam consumsimus cum nocte, cum continuo quidem cursu, sed non celeri, propter praedicta duo conamina.

Terra Sancta.

Sexto die luce apparente vidimus licet a longe terram sanctam, montem Carmeli, et si ventum sequi voluissemus, brevi tempore in portum Sidonicum, Berithum, aut Tripolitanum projecti fuissemus, sed cursum illum navis interceperunt, avertentes eam, ut in Cyprum, quae nobis erat ad sinistram et Syria ad dextram, pervenirent. Advesperascente autem die invaluit ventus, non quidem contrarius directe, sed nimis in septentrionem nos depellens in sinum Issicum conabatur deducere; tanta autem vi agitabamur, ut penitus desperaremus posse Cyprum attingere, et disposuimus nos in aulonem Cilicum divertere ad Asiae loca, et ea navigatione Cyprum accedere, qua S. Paulus Actor. XXVII. legitur de Sidua

Ende

Anfang